



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 97. Si debitor morte plectatur, an hæredes excusentur à restitutione damni causati per delictum, ob quod plectitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

sciret, esset remissurus, est obligatio petendi, ut remittatur, vel restituendi, quia dominus est in possessione.

- 463 §. 8. Assignatio debiti in Jure vocatur delegatio; delegare autem est, vice suâ alium dare reum creditori, vel cui jusserit, L. *Delegare*. ff. *Denovationibus*, & ad delegationem sufficit, si quis ex quacunque causa etiam erronea in se recipiat veram alterius obligationem, uti pluribus probant *Mol. Castrop. Haun. Jlls.* t. 4. d. 3. n. 286., potestque videri etiam *Onnate de contract.* d. 21. sect. 10.
- 464 §. 9. Transactio definitur, pactio non gratuita, de re dubia, lite aut controversiâ jam motâ: liberat ab ulteriore restitutione, sed transigens non debet esse certus rem alteri esse debitam aut adjudicatam per sententiam, à qua non detur justa appellatio, L. *In summa*, 65., ff. *De conditione indebiti*, L. *Sub pretextu*, 29. Cod. *De transactionibus*: Quod si unus sine onere cedat prætensione suâ, non erit transactio sed amicabile compositio. Videri possunt Auctores citati *Jlls.* n. 284. Item dicenda n. 629. & 759.
- 465 Q. 97. Si debitor morte plectatur, an hæredes excusentur à restitutione damni causati per delictum, ob quod plectitur. R. Affirmant *Scot. Salon.* & alii, si morte plectatur ad instantiam partis læsæ, quia tum videntur voluisse illam esse pro omni compensatione injuriæ: sed oppositum est tenendum, per se loquendo, uti habet communis cum *Sporer* t. 5. c. 3. n. 236. & *Jlls.* t. 4. d. 3. n. 82. Ratio est, quia Resp., per justitiam vindicativam tantum, punit illud delictum, neque ideo præjudicat juri stricto, quod ex justitia commutativa

tativa habent damnificati aut alii creditores: si tamen non exigatur compensatio horum damnorum, propter quæ punitur, probabile est posse omitti, quia illi, quibus facta est injuria, tum censentur acquiescere & condonare, uti docent *Sot. March. Bonesp. Less. 1. 2. c. 9. d. 22. Steph. t. 4. d. 5. n. 28. Fill. & Busenb. relatus n. 296.* Item plurimi alii apud *Lugo d. 9. n. 49.*, nisi adhuc extarent, v. g. res furto ablatae, vel hæredes essent per illas ditiores facti, tum enim foret obligatio eas restituendi, uti rectè *Sporer.* Addit *Lugo* etiam tum fore, si summa restituenda esset valde gravis, vel pars læsa restitutione valde indigeret, aut ob defectum ætatis aliamve causam non posset à creditore debitum remitti.

Q. 98. An excommunicatio creditoris vel debitoris excuset. *R.* Aliqui apud *Lugo d. 21. n. 150 & apud Flls. t. 4. d. 3. n. 282.* affirmant, quia non est licitum agere cum excommunicato, nec excommunicatus ipse licitè agit cum aliis: & quoad creditorem excommunicatum, dicunt *Mol. & Dicast. d. 10. n. 159.* sententiam esse probabilem, sed *Castrop. tr. 32. d. 1. p. 7. §. 5.* dicit oppositum esse certum; Hinc cum communi dicendum est neutrum per excommunicationem excusari, non creditorem, quia licèt negetur actio judicialiter petendi, *Cap. Pia, De exceptionibus in 6.*, tamen permittitur privatim petere; nec prohibetur communicare cum aliis, si id exigat necessitas vel magna utilitas, uti colligitur ex *Cap. Quoniam multos, 11. q. 3.* iterumque ex *§. fin.* Addit hanc rationem *Dicast. n. 164.*, quia sicuti liberum est ipsi communicare cum domesticis suis, *Cap. Quoniam 11. q. 3. Cap. Inter alia, De sent.*

T 5 excomm.,